ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo clarissimoq. viro D. Constantino
Hugenio, Zuilichemi Domino, C. Barlaeus, S. P. D.

Nobilissime, amplissimoq. Hugeni. audio aedificare te. hoc est metuere,
ne scrinia tua & loculos araneae intexant. Quare, si unquam, iam
philosophia tibi opus, non speculativa solum, sed & practica. Speculativam
missam facio, nam audio te Vitruvium legere, ex quo disces, ubi aedificandum,
et quomodo, qua partium symmetria, quo ordine. Ex practica paucula
adducam, quam profiteri mearu est partium. potissimum ad virtutum
te studia excitabo, magnificentiae puta, mansuetudinis, temperantiae,
magnanimitatis, iustitiae & urbanitatis. Magnificentia opus, ut quod
moliris opus sumtibus, sumtusq. operi respondeant. Mansuetudine,
ne facile irascaris architectis lentis iuxta et mendacibus. Temperantia,
ne nimis ad voluptatem: magnanimitate, ne nimis ad ambitionem aedifices.
Iustitia, ne cum aliorum incommodo struas, umbraq. proximum verberes
aut stillicidio. Adsit prudentia, ne iunctam viae domum sibi det mordax
populus. Constantia quoq., ne inchoatam domum vel molestiarum
vel impensarum taedio imperfectam relinquas, [struck out] & praetereuns aliquis
exclamet: pendent opera interrupta minaeq. Murorum ingentes. Hoc
posterius monitum non est meum, sed Hesiodi, ἐν τῷ ἔργων καὶ ἡμερῶν
libello: μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπίξεστον καταλείπειν; Nec domum fabricans
linquas mutilamq. rudemq. Urbanitatis insuper te memorem esse cupiam,
& diverticulum aliquod aedificare, in quo cum intimae admissionis amicis
rideas effusissime, absq. offensa puerperae aut vagientis infantiae. Ubi
aedificaveris, hoc cavendum, ne domum tuam nimis ames ac suspicias, uti
solent illi, qui nunquam domo sua egrediuntur aut ingrediuntur, nisi
cum attenta frontispicij admiratione, ad quod subsistere solent meditabundi,
quasi à lapidibus veniam intrandi impetraturi. Ubi eam inhabitabis, noli
semper domi desidere, ne οἰκουρίαν tibi exprobret Plutarchus in libello
περὶ εὐθυμίας. Verum ab hoc malo minus tibi metuo, quamdiu Princeps
pergit uti iure te vocandi. Sed cur aedificas, mi Hugeni? an ut habi=
tes? non defuit Diogeni, ubi habitaret, nec aedificavit unquam. an ut
commodè habites? etiam in conducta domo commodè habitabis. An, ne
pecuniae situ marceant? at accidet idem lapidibus & trabibus, & quidem
multo citius. An, ut intempestivè interpellantes repellas hac prophasi;
Gellius aedificat? An, ne in ius vocari possis, iuxta illud Caij
Pandect. lib. 2. tit. de in ius vocando? Verba sunt: Plerique putaverunt
nullum de domo sua in ius vocari debere. quibus similia habet
Paulus lib. l. tit. de regulis iuris. At illud ius iam exolevit. Et
quantam quaeso qualemq. domum aedificabis? Si magnam, benè
mereri voles de gliribus & muribus; & habebunt, ubi lateant, fures;
ubi garriant & luxurient famulae: si parvam, iniurius eris in
virtutes tuas, quae arctè habitare nesciunt. Vis aedificare
validam & perennem, quaeq. seculum ferat? eris ludibrio Chinensibus,

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 101
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1319

qui domos ædificant, quæ ad vitam Domino sufficiunt; nec quicquam magis mirantur, quam nos posteris, nepotibus & abnepotibus ædificare. Si invalidam, metuo, ne summa aliquando fiant ima, et tuo damno sentias, gravia moveri deorsum. Et vero pergam te exercere, dico impossibilem esse, quam ordiris, ædificationem. Aut enim ædificas, quod ædificatum est, aut quod non est ædificatum. Si prius, actum ~~ag~~ agis, & moveri dicis, quod est in termino. Si posterius, ædificas non ens. nam tale est id, quod non est ædificatum. In-super, aut ædificas in loco, in quo est domus, aut in quo non est. Si in quo est, cur ædificas? et quomodo sine corporum penetratione ædificabis domum in loco, in quo est domus. Sin ædificas in loco, in quo non est domus, ædificas domum sine domo. Si dicas, te ædificare domum in loco, in quo fit domus, sic insto: aut domus fit, cum est: aut cum non est. Si prius, non fit. nam esse et fieri implicant contradictio=nem. non posterius; nam non entis nulla est affectio. Unum adhuc habeo contra Vitruvium tuum. quod adscribam, ne nimis illi fidas. Monet ille, parietes debere esse perpendiculares, et, ni arcæ situs vetet, parallelos. At nego ego, dari posse in rerum natura duos parietes perpendiculares, ~~utrumque~~ nego quoq. dari posse duos æqui-distantes. Ratio est, quia gravia feruntur ad centrum & in centro coincidunt. quare necesse est inferiores partes parietum viciniores sibi mutuo esse, quam superiores, quia illi viciniores centro, in quo tandem concurrerent, si ad centrum usq. producerentur.

Vale, Hugeni doctissime, nec posthac Nihilistis objice, quod de nihilo operosius philosophati fuerint. Jam enim philoso-phatus fui de Domo. Amstelod. 2 Decemb. 1635.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 101
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1319

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 101
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1319